

Salomon Deum implere omnia, quod etiam de suo Jove cecinere gentiles, è quorum numero Aratus statim in principio :

Fora sunt Jovis omnia plena,

laquelle il est vrai de dire que Dieu n'habite point. Salomon, dit-il, fait voir que le Seigneur n'habite point dans cette maison, c'est-à-dire qu'il n'y est point contenu, lorsqu'il témoigne que les cieux mêmes ne peuvent pas le comprendre. Et il fait voir dans la suite que Dieu néanmoins y habite véritablement, en ce qu'il le prie que ses yeux soient ouverts jour et nuit sur cette maison, pour exaucer la prière de ses serviteurs qui le prient en ce lieu. Car Dieu, qui remplit tout l'univers par sa présence et par sa puissance, ne peut pas sans doute être renfermé en un lieu particulier, comme les hommes. Mais il oblige ces mêmes hommes de se rendre tous en un certain lieu comme était ce temple, afin d'y offrir conjointement leurs prières dans un même esprit, et il s'engage de les écouter en ce lieu par des marques plus sensibles qu'il leur donnera de son assistance. Ainsi ce temple était plutôt destiné pour l'utilité du peuple Juif qui l'avait bâti, étant nécessaire, à cause de leur penchant vers les idoles, de les réunir en un seul lieu pour l'exercice du culte de leur religion, que pour la gloire du Dieu d'Israël, qui éclate également en tous lieux, et qui doit être adoré partout.

L'étonnement que fait paraître ce prince en disant : *Est-il donc croyable que Dieu habite véritablement sur la terre?* n'est pas une marque de son peu de foi, mais un effet de cette profonde admiration où il était dans la vue de la grandeur infinie de Dieu, qui daignait ainsi s'abaisser jusqu'aux hommes, et leur témoigner qu'il agréait cette demeure qu'ils lui consacraient. Il ne pouvait pas nous marquer plus sensiblement par son exemple et par ses paroles combien il était persuadé par avance de la vérité de cette parole de Jésus Christ, que le temple est une maison de prière. Car on voit par tout ce qu'il dit qu'il suppose que l'on y viendrait, non pour le voir seulement et en admirer la magnificence, mais pour prier et pour invoquer la miséricorde de Dieu dans tous les besoins dont on se verrait pressé, soit au dedans par les ennemis de notre saint, soit au dehors par ceux de l'état, et par toutes sortes de malheurs. Qu'il serait à souhaiter que ce sentiment d'un si grand roi fût gravé profondément dans le cœur de tous les Chrétiens, et qu'en entrant dans nos saints temples, ils s'y appliquassent uniquement à considérer les sujets qu'ils ont d'invoquer la divine miséricorde!

Pour nous convaincre de nos besoins tout spirituels, qui souvent nous sont moins sensibles que ceux du corps, il suffit de parcourir ce que ce prince témoigne, que l'on viendrait demander à Dieu dans son temple; et en transférant du corps à l'âme les maux dont il parle, envisager la nécessité où nous sommes d'une prière continuelle. Nous avons des ennemis invisibles plus redoutables que tous ceux qui nous persécutent visiblement. Il y a des sécheresses et des stérilités spirituelles, que nous devons craindre plus que celles de la terre,

Compita cum pagis, omnes et cum æquore portus, Omnibus atque utimur Jove nos ex partibus omnes. Et duo antiquissimi poëtæ, Euphorion et Æschylus, ut refert Clemens Alexandrinus lib. 5 Strom., sic de Jove cogitant et loquuntur :

Jupiter est æther, est terra Jupiter,

Cœlumque, et omnia Jupiter, et si quid supra.

Et Orpheus ab eodem Clemente citatus :

Oceani ad fines expansa est, et manus illi

Undique dextera, sub pedibus subjectaque terra est.

Non itaque dubitabat Salomon, quod de suo Jove fatebatur stulta atque delusa gentilitas, à Deo propter immensitatem illius omnia compleri; sed quia se ad hominum sensus, atque cogitationes attemperat, qui aliter de rebus aliquando cogitant, quàm illarum patitur natura, idè hoc utitur dicendi modo, qui significare alicui videri posset aliquando Deum terram inhabitasse. Sic enim homines communiter sentiunt, dicuntque proverbiali, ut arbitror, specie, aliquem habitare nullibi, qui ubique sit. Ita Seneca lib. 1, Ep. 2 : « Nusquam, inquit, est, qui ubique est, » et qui non habet certum, et stabile domicilium, in quo sit assiduus, et in quo inveniatur ab aliis. Sic sanè Mart. lib. 7, Ep. 72 :

Dic ubi conveniam, dic quâ te parte requiram,

Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.

Illud videtur dictum ab Augustino t. 2, Ep. 57, ad Dardanum, ubi Dominus ubique esse dicitur, neque tamen habitare ubique. Sic autem ibi Augustinus : « Illud est multò mirabilius, quòd cum Deus ubique sit totus, non tamen in omnibus habitat. Non enim omnibus dici potest quod ait Apostolus, vel quod jam dixi, « vel etiam illud : Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis? » Et paulò post : « Unde fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam. Propter

puisqu'elles tiennent le ciel fermé, et le rendent comme un ciel d'airain pour nous, empêchant que l'abondance des grâces célestes ne découle dans nos âmes. Il y a des famines et des pestes intérieures, des corruptions et des contagions plus dangereuses que celles de l'air dont parle ici Salomon. Si donc nous ne courons pas au temple avec un cœur brisé de douleur dans la vue de nos péchés, que ce prince reconnaît être la véritable source de tous nos maux; si nous ne répons pas nos âmes devant Dieu dans l'amertume d'un regret sincère, que ce roi lui-même a regardé comme une disposition indispensable pour être exaucé de Dieu, c'est une preuve que nous n'avons guère de sentiment de nos maux, puisque nous sommes si froids à en demander la délivrance. (Sacy.)

« hanc enim habitationem ubi procul dubio gratia dilectionis Dei agnoscitur, non dicimus : Pater noster, qui es ubique; cum et hoc verum sit, sed : Pater noster, qui es in cœlis, ut templum ejus potius in oratione commemoremus. » Sic ergo, quia Deus in terrâ nullum antea stabile domicilium habuerat, licet nihil esset Deo non plenum, non dicebatur habitare super terram. At quando templum habuit, ubi præcipuâ quâdam religione coleretur, ubi consuleretur, et oracula sciscitantibus redderet, quem locum et miris ornasset modis, et specialis præsentia non obscuris nobilitaret argumentis, in terris habitare dicitur, eo modo, quo in cœlis esse dicebat nuper Augustinus. Et quemadmodum, dum operam orationi damus, ad cœlum manus et oculos attollimus, quasi ad domum Dei; sic etiam hoc idem, neque immeritò, antiquis seculis intenti precibus fecerunt Hebræi. Sic certè monet David ex eo, quod erat usitatum in eo populo, ut homines manus levant ad Sanctuarium, seu Sancta sanctorum, ubi Deus credebatur habuisse propriam, et familiarem sedem. Psal. 133 : *Qui stans in domo Domini, in atris Domini Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in sancta.* Oculos certè ad templi ruinas, ad locum videlicet, ubi arca fœderis meliori tempore collocata fuit, convertebat in oratione Daniel, cum abesset procul Babylone exul, c. 6, v. 10 : *Ingressus domum suam, et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua.* Quod hoc loco precatus est Salomon à Domino v. 44, nempe, ut si quis conversus ad templum, quod ædificaverat, id est, intentis in illud oculis à Deo aliquid oraverit, illud exoret : *Si ingressus, inquit, fuerit populus tuus ad bellum per viam, quòcumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, et contra domum quam ædificavi nomini tuo, et exaudies in cœlo orationes eorum.* Idem fermè v. 48, ubi de captivis agit, qui ad civitatem, sacrariumque conversi libertatem, reditumque precantur.

SI ENIM COELUM, ET COELI COELORUM, TE CAPERE NON POSSUNT, QUANTO MAGIS DOMUS HÆC, QUAM ÆDIFICAVI! Exiguum fatetur esse munus hoc Salomon, licet in ejus molitione neque labori, neque sumptui pepercerit : quod enim erit tantum opus pro tantâ majestate dignum? Quæ tanta locorum amplitudo, quæ capere illum possit, cui infinitis spatiis impar terrarum omnium, et cœlorum immensitas? Quare gratias agit, quòd suam majestatem immen-

sam, quæ nullis potest spatiis definiri, in arctis sacrarii, id est viginti cubitorum angustiis quodammodo concluderit. Cœli cœlorum dicuntur, qui in eo genere, atque ordine præstantissimi sunt, aut magnitudine et gloriâ, aut aliâ quavis proprietate, quæ illis nobilitatis aliquid aut splendoris conciliant. Quomodo *Rex regum*, ille dicitur, qui alios omnes potentia et majestate superat; *Virgo virginum*, quæ aliis præstat virginibus; *vanitas vanitatum*, summa vanitas, et in hoc Salomonis templo exemplum habemus opportunum : locus enim ille, qui alios sanctitate præstat, qui arcam continet, et in eâ tabulas, quibus divino digito inscripta lex est, in quem uni tantum Pontifici patet locus, idque semel in anno, *Sancta sanctorum* appellatur, id est, locus omnium longè sanctissimus. Ad hunc modum cœli cœlorum, aut cœlum cœlorum illud dicitur cœlum, quod summum et splendidissimum est, aut certè quod alios cœlos suo complexu continet, et quodammodo fovet. Hoc verò cœlum summum est, et empyreum, quod ut inferiores cœlos ambit et continet, sic etiam necesse est, ut alia omnia sive cœlestia, sive elementaria corpora infinitis propè spatiis antecellat. De illo sanè cœlo, in quo Dei est stabilis, et magis nota sedes, loquebatur David Psal. 67, v. 36, cum dicebat : *Psallite Deo, qui ascendit supra cœlum cœli ad Orientem.* Psalterium Ambrosianum et Vaticanum, super cœlos cœlorum habent. Eodem genere loquendi usus est iterum David Psal. 113, vers. 16 : *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum;* et Moyses Deuteron. cap. 10, v. 14 : *En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli.* Est itaque cœlum cœlorum supremus orbis, et beatorum sempiterna sedes, ubi augustius habitat et splendet divina Majestas.

VERS. 28. — SED RESPICE AD ORATIONEM SERVITUI; DOMINE DEUS MEUS, AUDI HYMNUM ET ORATIONEM. Quamvis hoc donum exile sit, et pro tantâ majestate plusquam vile, et domus, in quâ regni sunt vires, et facultates exhaustæ, angusta sit magis, orat tamen ut benignos oculos, atque hilares ad ipsius preces et postulata convertat, intentumque habeat in religiosum illum locum, animum, atque aures, tam ad suas, quàm ad totius populi, imò ad omnium gentium vota et orationem, si quando in illo loco precari contingat. Orationem verò suam hymnum appellat, quia laus et hymnus plerumque precationem antecedunt, unde fit, ut laudare idem sit, quod precari, et laus nonnunquam pro pre-

catione sumatur. Vide quæ diximus in nostris Commentariis super Threnos ad illud cap. 2: *Consurge, lauda in nocte*. In hoc sanè sensu sumpsit Jerem. cap. 7, Dominus cum dixit: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumes pro eo laudem et orationem*. Laudem cum oratione jungebat David, cum dicebat Psalm. 17: *Laudans invocabo Dominum*. (1)

VERS. 31. — SI PECCAVIT HOMO IN PROXIMUM SUUM, ET HABUERIT ALIQUOD JURAMENTUM (2), etc. Orationes ideò fiunt, ut avertantur mala, et bona vicissim impetrentur. Varia sunt, quæ desiderare homines, aut solent, aut debent, multa quæ aversantur et horrent: multa, quæ ab hominibus, multa, quæ à naturalibus causis aut afferuntur bona, aut inferuntur mala; de utrisque Deum orat, ut illa largiatur, hæc avertat et obruat. Et primum agit de his incommodis, quæ ab hominum fraude et calumniâ, sive crudelitate et violentiâ proveniunt. Contingere non infrequenter assolet, ut explorari res, aut deprehendi non possit humano consilio, quia neque testium interfuerunt oculi, aut ejusmodi sunt conjecturæ, ut ad veritatem cognoscendam non satis habeant firmitatis et ponderis. Tunc autem, ut Apostolus docet, ad Hebr. cap. 6, v. 16, ad jurisjurandi religionem confugimus quæ in desperatis rebus extrema et sola probatio superest. *Homines enim per majorem suâ jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem, est juramentum*. Quando homo, qui sceleris arguitur, neque tamen externis signis convinci possit, ad juramentum adigi possit, imò et debeat à iudice, habes Exod. cap. 22, v. 11: *Si quis commendaverit proximo suo asinum, et bovem, et ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem*

(1) VERS. 29. — ERIT NOMEN MEUM IBI; appellabitur domus mea; gloriam hic nominis mei exeram; inclytum reddam locum prodigiis; hæc se conferent homines, ut tributa sua, obsequium et cultum pendant. (Calmet.)

(2) *Lorsqu'un homme aura péché contre son prochain, n'ayant pas gardé le serment par lequel il s'était lié, etc.* Ce passage qui paraît obscur, s'explique de cette sorte par les interprètes: Si un homme, à qui un autre avait confié un dépôt, commet à son égard une aussi grande injustice qu'est celle de lui nier qu'il ait rien reçu de lui; en cas qu'on l'oblige de faire serment sur cela, et qu'il vienne dans le temple pour ce sujet, faites, Seigneur, s'il vous plaît, connaître sa perfidie, et exaucez la prière de celui contre qui il a péché, en lui faisant rendre la justice qu'on lui refuse. (Sacy.)

proximi sui, suscipietque Dominus juramentum, et ille reddere non cogetur. Orat igitur Salomon, ut si quando eò sit disceptatio deducta, ut non possit aliter, nisi jurejurando definiri, ipse ostendat Deus ex templo, ubi ad jusjurandum homo de scelere suspectus adigitur, occultam, aut obscuram veritatem. Hic planè sensus est, quem sic ex singulis verbis seorsum consideratis informo. Si aliquid homo admisisse iniquis in proximum arguitur, et eam ob causam in templum venerit ut juramento sceleris suspicionem depellat; tu, Domine, ita controversiam illam dirime, ut qui insons est, suspicionem et condemnationem effugiat; qui autem veri criminis reus, suo peccato penas debitas luat. Hæc clarjùs lib. 2 Paralip. cap. 6, v. 22: *Si peccaverit quispiam in proximum suum, et jurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo istâ, tu audies de cælo, et facies judicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, ut ulciscaris justum*. Hic porrò observandum cum juramento plerumque execrationem et maledictum adjungi, ita ut, si quis juramentum concepit, sciens fallat, infortunium aliquod subeat, quod suo sibi capiti imprecatur. Hæc nos docuimus Isai. cap. 62, ad illud: *Juravit Dominus in dexterâ suâ, et in brachio fortitudinis suæ*. Et quidem servus Abraham cum tantum jurasse dicatur Gen. 24, v. 9, ipse tamen juramento adjunctam fuisse dicit execrationem. Dixit Abraham ibidem v. 8: *Si mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento*: servus autem hoc ipsum repetens v. 41, ait hæc fuisse Abrahæ verba: *Innocens eris à maledictione meâ*; quia nimirum à juramento execratio non aberat. Idem nunc accidit in eo qui sic in templum juraturus ingreditur, ut malum sibi optet, si perjurio se contamine. Execrationis non meminit scriptor Regum, quia execrationem nôrat cum jurejurando esse conjunctam.

VERS. 33. — SI FUGERIT POPULUS TUUS ISRAEL INIMICOS SUOS, QUIA PECCATURUS EST TIBI; ET AGENTES POENITENTIAM, etc. Aliud infortunium ostendit, à quo maximè homines liberari et cupiunt, et student. Contingit sæpè ut homines ab hostibus subacti, et ignominiam subeant, utpote inferiores in acie, et duris conflictentur incommodis in alieno loco, et sordidæ interdum addicti servituti. Orat igitur Salomon, ut si quando in templo Israelitæ malè ab hoste jaectati, aboleri ab Israelitico nomine tam gravem ignominiam petant, et preces offerant

pro captivis, qui duram in peregrino solo servitutum serviunt, se ab illo exorari sinat, et ignominiam depellat ab Israelitide gente, et captis ab hoste, et longiùs abductis libertatem patriamque restituat.

Hic nobis observanda duo, alterum est persuasum esse Salomoni, et prudenti cuique ex eo populo, imò etiam gentilibus, qui Hebræorum aut intererant rebus, aut tempora, gesta que cognoverant, tunc ab hostibus superari, et in ærumnosam conditionem compingi Israelitidem gentem, cum à Dei lege, et voluntate deficeret. Quod Dominus ipse sæpè verbisque admodum significantibus expressit. Levit. cap. 26, v. 17: *Quòd si non audieritis me, etc., ponam faciem meam contra vos, et corrueis coram hostibus vestris, et subjiciemini his qui oderunt vos; fugietis, nemine persequente*. Et Deuter. 28, v. 25: *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terræ*. Hoc autem ipsum experientiâ edocti, et ex Hebræorum monumentis didicere gentiles. Sic sanè Achior Ammonites Judith. cap. 5, ubi cum varias retulisset populi victorias, tandem ait v. 17: *Et non fuit, qui insultaret populo istî, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui*. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, et in gladium, et in opprobrium. Quotiescumque autem penituerunt se recessisse à culturâ Dei sui, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi.

Alterum est, videri difficile aliquem ab hoste ex propriis ejectionibus esse, et tamen orare in templo, et petere, sibi ut in patriam redire liceat. Mihi hoc loco placet quod visum est Abulensi q. 14. Non hic sermonem esse de captivis, sed de his, qui ab hoste è suis sedibus ejecti sunt, quique abierunt non in hostilem terram, sed in aliam, non tamen extra terram promissionis, ad alios nempe gentis Israelitidis funiculos, unde possent adire templum, et pro antiquâ possessione, quam hostis occuparat, et pro patrio solo, ex quo dejecti fuerant, preces effundere. In hanc ego sententiam ideò magis inclino, quia infra, v. 46, de captivis proprius est institutus sermo; ibi alia illis præscribitur orandi forma. De quâ suo loco. Hoc autem facere potuerunt aliquot tribus, quæ ab Assyriis expugnatae sunt, quæ ultra Jordanem quondam substiterunt. Tunc autem illi, qui se illorum furori subdixerunt, aut quibus sub illud turbidum tempus commorari

contigit cum aliarum tribuum habitatoribus, orare potuerunt in templo, sibi ut pateret liber in patriâ reditus, quam esse in hostium potestate doluerant, et quidem hic nullus est de servitute, ac captivitate sermo, sed tantum de dispersione et fugâ (1).

VERS. 35. — SI CLAUSUM FUERIT COELUM, ET NON PLUERIT PROPTER PECCATA EORUM. En grave aliud incommodum à quo levare postulat Salomon eos, qui in templo ad divinam commiserationem orando confugerint. Sed illud hic pro moribus maximè observatum oportuit, sicut ferrei sunt cæli, et magis sicci, quam arida spongia, ubi constat hominum peccata, famem, et sitim, et omnia valetudinis incommoda ad peccatorum vindictam, et exitium clamantia, sic frustra optari à peccatoribus pluviam, nisi scelerum suorum impedimenta submoveant. Neque enim sine causâ addidit hic Salomon: *Si orantes in loco isto penitentiam egerint, et à peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, exaudi eos in cælo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel, et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam, etc.* Non vult Salomon orare quempiam cœlestem imbrem, priusquam cœlestem regem, et pluviarum patrem, et Dominum penitendo placaverit. Neque permittit pluviam orari prius, quam lucem à Deo, quæ rectam ad Deum semitam ostendat; quâ de re pluribus egimus in nostris Commentariis ad caput 2 Aggæi, ubi ostendimus agrorum sterilitatem et sitim propter hominum peccata contingere, et perire omnia, quæ offenso Deo aut quaerit, aut captat humana sedulitas. Quòd verò siccitas agrorum à peccato proveniat, docuit Aggæus supra, et habes Deut. 28, v. 23: *Sit cælum, quòd supra te est, æneum, et terra quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ pulverem, et de cælo descendat super te ignis, donec conteraris*. Idem penè Levit. 26, v. 19. Pluisse autem lapidibus, qui cuncta vastaverint, pluisse ardenti cinere, qui agros et arboreta suo fervore disperderet, et audivimus in

(1) VERS. 34. — REDUCES EOS IN TERRAM, quam patribus dedisti, si fortè casus tulerit, ut longè captivi abducantur. Sed postremis hisce applicanda non sunt ea, quæ in versiculo præcedenti expressa sunt, venturos scilicet illos ad rogandam liberationem suam in templo, quippe id præsentiam illorum in urbe ostenderet; quòd utique in sermone pugnans quiddam induceret. Quòd captivis supererat, illud erat, nimirum ut Deo supplicarent è loco exilii sui ad templum conversi, uti à Daniele præstitum legimus. (Calmet.)

superiorum temporum antiquis monumentis, et nostris temporibus contigisse novimus. Quemadmodum Deus terræ fecunditatem, et rerum omnium abundantiam homini divinæ legis amatori promiserit, habes Levit. c. 26, v. 3: *Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis; et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem.* Idem penè Deut. cap. 28.

VERS. 37.—FAMES SI OBORTA FUERIT IN TERRA, AUT PESTILENTIA, AUT CORRUPTUS AER, AUT ÆRUGO, AUT LOCUSTA, VEL RUBIGO, etc. Alia nunc enumerat incommoda, quæ hominum precibus in templo profusis à Dei benignitate depelli vult. Primum fames, quæ non solum à pluvie defectu, et agrorum siti provenire solet, sed etiam ab urente vento, à locustâ, et brucho, ab uredine, rubigine, et aliis, quæ segetum et arborum pestes appellantur, quas procul arceri à peccantium finibus Salomon orat, atque obsecrat. Solet etiam hoc accidere cum hostis angustas civitates obsidione premit, quando foris frumentari, aut aquari non licet, et homines interdum cogit rebus vesci sordidissimis, quæ nullo modo censi possunt esculentæ, quale est columbinum stercus, et quod magis horribile, quæ eò adigit homines miseros, ut parentes filiorum, et parentum filii carnibus pascerentur, quod contigit in obsidione Jerusalem, ut plorat Jeremias Thren. cap. 2, et Ezechiel clarius cap. 5, v. 10: *Idèo patres comedent filios in medio tuâ, et filii comedent patres suos.* Vide quod nos ad hunc Ezechielis locum. Ab hac fame undecumque provenerit, ab hostili quacumque vexatione, ab aere corrupto, qui tabem hominibus et terræ proventibus inducit, à peste denique omni, et contagione noxiâ liberari postulat populum, qui illius obtinendæ liberationis ergo templum adierit. Hic obiter nota, quando de hominum, segetumque morbis hic agit Salomon, et de pestilentia, quæ aliquid videtur importari communius tam animalium quam plantarum generi, omnia quæ salutis hominum, aut plantarum incremento ac fructibus officiant, pestis vocabulo significari. Sic illa eadem quæ segetibus atque aliis plantis noxia dicuntur, tum hic, tum aliis etiam Scripturæ locis, quales sunt locustæ, bruchi, erucæ, pestis dicuntur à Latinis. Unus pro omnibus sit Virgilius, qui 1 Georg. bestiolas, quæ segetes, aut grana populantur, hoc nomine significat:

*Tum variæ illudunt pestes, sæpè exiguus mus
Sub terris; posuitque domos, atque horrea fecit,
Aut oculis capti fodère cubilia talpæ.*

Quare dum pestilentiam horret, arcerique cupit Salomon ab Hebræorum finibus, ea cupit ut procul abigantur, quæ humanis sunt infesta corporibus, aut quæ tabem arvis, aut maciem inducunt.

VERS. 38.—SI QUIS COGNOVERIT PLAGAM CORDIS SUI, ET EXPANDERIT MANUS SUAS IN DOMO HAC. Iterum docet Salomon, quo se modo homo præparare debeat ad orationem, quam ratam esse studeat, et compotem votorum. Est ager aridus, et macer à variis plagatus pestibus, aut aquarum sitiens: est item plagatum corpus, à dirâ contagione, quæ afflavit, infecitque illud ab aere corrupto. Si hanc à se homo voluerit arceri plagam et ab agris, quorum videtur exuri, atque perire fructus, necesse est, ut sui prius animi plagam consideret, et illam sanare studeat, si suam apud Deum orationem pondus habere velit; alioqui cassa erit et inutilis omnino omnis in orando contentio. Quod explicuit magis cum statim addidit:

VERS. 39.—ET FACIES UT DES UNICUIQUE SECUNDUM OMNES VIAS SUAS, SICUT VIDERIS COR EJUS. Non tantum Deus respicit expansas in oratione manus, quia fieri potest ut in conspectu Domini plenæ sint sanguine, et infectæ muneribus, et vocem, quæ in templo resonat, quia ex contaminato spiritu formata, aliquid inhalat odiosum et pravum, et divinas aures sono potius complet incondito et absono, quam exhilarat numeroso et dulci. Quare Deus neque manus aspicit supplices, si puræ non sunt, neque verba audit, si à ferino expirantur animo, et impurâ atque impiâ linguâ finguntur.

VERS. 41.—INSUPER ET ALIENIGENA, QUI NON EST DE POPULO TUO ISRAEL, etc. Aliquid jam amplius postulat Salomon, dum gentilium etiam preces in loco illo sancto exaudiri cupit, quâ in re non tam videtur de gentilium commodis laborare, quam de divini nominis amplificatione, et de divinâ Dei majestate, et gloria. Quam agnoscent gentes, cum suas preces viderint non excidisse inanes, quibus tam facile annuit, satisfacit, et prompta benignitas, et exprompta potentia. Est autem hæc oratio et pia, et valde ad impetrandum idonea, quæ id à Deo petit, quod illi futurum est gloriosum, neque aliud in eâ petitione spectat, quam ut divinum nomen et se latius ad gentes extra Israeliticos terminos extendat, et ubique gentium habeatur illustris.

Noverunt, credo, gentes, quid in suam commoditatem, et usum in ipsâ templi dedicatione postulârunt Salomon, reque ipsâ didicerant ex precibus eo in loco religiosè conceptis, magna se accepisse compendia. Quare cum potentem agnoscerent ex præliis, in quibus eventu plane admirabili superiores extiterunt Hebræi, et ipsi divinam clementiam sæpius essent experti, augustum illud, et admirabile sacrarium sic venerabantur, ut illud sæpè venerabundî convenerint, et donis interdum cumulârunt amplissimis. Quâ de re egimus in explicatione Psal. 67, ad illud: *A templo tuo, quod est in Jerusalem, tibi afferant reges munera.* Sic sanè fecerunt Cyrus, et Artaxerxes, ut docet Esdras, Ptolomeus Philadelphus rex Ægypti, et Alexander Magnus, ut auctor est Josephus, et Seleucus Asiæ rex, ut habes lib. 2 Machab. cap. 3, ubi hoc ipsum fecisse reges alios, et principes audimus. « Fiebat, inquit, ut ipsi reges, et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent, ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. » Quam verò Judæorum Deum externi populi putaverint esse metuendum, docuerunt Palæstini l. 1, cap. 4, qui cum primùm fœderis arcam in Hebræorum castris conspexerunt, timore penè exanimati exclamârunt: *Væ nobis, quis nos servabit de manu deorum sublimium istorum?* Quam apud Ammonitas potens existimaretur, et fidelis suorum custos Judæorum Deus, satis ostendit Achior, Judith cap. 5, vers. 18, et vers. 5, de quo paulò ante. Cum ergo eam gentes de Israelitarum Deo opinionem concepissent, quid mirum, si illum consultum in dubiis, et oratum in rerum angustiis esse vellent? Venit quidem ut oraret in templo eunuchus reginæ Candacis, Actor. 8; venerunt quidam gentiles ut adorarent in templo, Joan. cap. 12, et pro his in templo atrium quoddam extractum est, quod dicebatur gentium, quia in illo esse, ulterius verò progredi non permittebantur. De hoc atrio vide Josephum l. 2 contra Appionem longiusculè à principio.

VERS. 44.—SI EGRESSUS FUERIT POPULUS TUUS AD BELLUM CONTRA INIMICOS SUOS, PER VIAM QUOCUMQUE MISERIS EOS, ORABUNT TE CONTRA VIAM CIVITATIS, QUAM ELEGISTI, ET CONTRA DOMUM, QUAM ÆDIFICAVI NOMINI TUO. Quia interdum homo obire non potest augustum illud et illustre sacrarium, quia necessariò abesse debet à civitate et templo, aut quia ad bellum

proficiscitur, aut quia captivus tenetur apud hostem victorem in peregrino loco, petit Salomon, ut illi se Deus tam propitium, et liberalem ostendat, si conversus ad illam mundi plagam, ubi templum est, orationi se dedat, ac si in ipso templi complexu supplex oraverit. ne dum rebus vacat necessariis, aut necessariò cogitur abesse, careat illo tanto tamque universali subsidio. Hoc puto fecisse olim, et nunc etiam facere Judæos, qui cum ad Hierosolimam, templique reliquias accedere non possunt, satis sibi in duro rerum suarum articulo habent, si ad Hierosolimam conversi orent, et antiquum suum doctorem illius memoriâ consolentur. Fecit sanè David in Psalm. 62; cum errâset in sylvis locisque desertis, conversus tamen ad locum, ubi Deus præcipuo quodam modo adesse credebatur, suas ad Deum preces dirigebat: *In terrâ desertâ, inviâ, et inaquosâ, sic in sancto apparui tibi;* id est, cum in desertis agerem locis procul à tabernaculo, perinde tamen orabam atque si in sancto, id est, in sacrario et tabernaculo præsens orarem. Sanè, ut aliqui dicunt, et nos putabamus esse probabile in nostris Commentariis super Isaiam ad caput 38, idè gravi percussus morbo conversus ad parietem Ezechias oravit, quia pars illa templum intuebatur; cui, quâ ratione poterat, præsens esse voluit. Fecit sanè Daniel, cum captivus esset Babylone, qui hujus orationis Salomonis memor Dan. capite 6: *Fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua.*

Ut autem Hebræi, cum orarent, certum habebant locum, in quem venerabundos oculos et supplices intenderent manus, sic etiam Christiani primis Ecclesiæ temporibus sum quoque locum certum habuerunt, ad quem in orando faciem, animumque converterent: ad Orientem namque conversi suas ad Deum preces effundebant. Ita Justinus Martyr, quæst. 118, ad Orthodoxos; Tertullianus in Apologetico capite 16; Epiphanius hæresi 19, quæ est Ossensorum, et plures alii antiquorum Patrum, plura in nostris Commentariis ad illum Danielis locum, de quo proximè. (1)

(1) VERS. 45.—FACIES JUDICII EORUM, id est, jus eis dices et facies, ulciscendo injurias eis factas, ipsosque liberando ab oppressoribus injustis et violentis. (Corn. à Lap.)
VERS. 46, 47, etc.—*Que si votre peuple pêche contre vous, parce qu'il n'y a point d'homme qui ne pêche, s'ils font pénitence du fond de leur cœur vous exaucez du ciel leurs prières.* « Qui